

Quaestio medica ... An cibus deterior, sed jucundus & assuetus, meliori, sed ingrato & inassueto, potior? / [Louis-Anne Lavirotte].

Contributors

Lavirotte, Louis-Anne, 1725-1759
Busson, J.

Publication/Creation

Paris : Quillau, 1751.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/prp654at>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI - PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis primo mensis
Aprilis, anno Domini M. DCC. LI.*

M. JULIANO BUSSON, Doctore Medico, Præside.

An cibus deterior, sed jucundus & assuetus, meliori, sed ingrato & inassuetus, potior?

I.



IN TER primævos Philosophiæ cultores plurimi, supra vulgus hominum, divini cujusdam afflatûs participes fuisse videntur. Quidquid poterant & acerrima mentis acies & excelsum ingenium, id perfecerunt summi illi viri; quibus annumerandum esse Medicorum Principem Hippocratem nemo fanè negaverit. Is enim tantam in Apollinis Arte meruit laudem, ut divini honores à concivibus, ob servatam patriam, vivo ipsi adscripti fuerint. Tam singulari diligentia varias naturæ leges indagavit, ut ipsam operantem quasi inspexisse dici possit.

Quæ pandidit oracula longâ sæculorum serie comprobata sunt; & reapsè opera ejus aliquod *θεῖον* redolere videntur. Etiamfi tot pulcherrimis in Physicâ, in Chemiâ & in Anatomicâ inventis superbiat nunc Medicina, haud ferè rectiùs quam veterum dogmata ægrorum curationi conducunt. Et certè cum Philosophi per *ἀναλυσιν* tantùm, id est à compositis ad simpliciora, à posterioribus ad priora progrediendo, abditiores rerum causas attingere queant, mirum videri non debet, Medico tam necessaria esse & observationes & experimenta, ut rectè ratiocinari possit, hominùmque saluti invigilare. In hâc verò parte plerisque scientiis palmam præripit Medicina, cum ferè nulla sit quæ tanto observationum numero stabilitam esse gloriari possit.

(a) Hipp.
Aphor. Sect.
M. Aph. 38.

Hancce calcando viam, quæstionem hîc propositam jam solverat Hippocrates, in Libro verborum pondere, sententiarumque gravitate percelebri (a) ubi sic legere est: τὸ μικρῶν χεῖρον, καὶ πόμα, καὶ στίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτίωνων μὲν, ἀνδραγέρον δὲ, μᾶλλον αἰρετέον. Paulò deterior & potus & cibus, jucundior autem, eligendus potius, quàm meliores quidem, sed ingratiore. Cum naturæ leges investigare, ipsisque inservire, præcipuum sit Medici munus, inter varia præscribenda ipsi apprimè distinguenda sunt quæ majori cum corpore analogiâ gaudent.

I I.

PER sanitatem intelligitur status ille in quo ritè functiones perficiuntur. Quamto perè differat hic corporis status, pro ratione ætatis, sexûs & regionis norunt omnes. Verùm quod adhuc Medicis peculiariter annotandum, sua cuique est sanitas, id est sua cuique singularis constitutio, quam *ἰδιοσυγκρασίαν* vocavere antiquiores Artis Magistri. Ideò corpora quæ maximè differunt tum in solidis tum in fluidis quibus conflantur, singula tamen esse sana poterunt. Indè orta celebris illa de temperamentis doctrina, quam meritò tanti fecere majores nostri. Sed & aliundè quot discrimina à diversis fibrarum vi & elatere, vario viscerum robore, nervorum acutiori sensu, succorum *digestivorum ἐνέργεια*, aut peculiari quâdam indole, &c. oriri non possunt? Quis hæc omnia limitibus definire auderet. Hinc promulgare leges *ὕγινης*, quæ profint omnibus (a) difficile admodum. Ingesta eadem oppositos interdum producant effectus, in iis etiam qui idem observant vitæ genus. Unusquisque perfectâ fruitur sanitate, licet diversus omninò sit apud homines usus rerum non naturalium; quam vivendi normam si vicissim mutarent inter se, brevè exurgeret tetra morborum cohors. Ex his patet quanti sit momenti ea ciborum potulentorumque genera præferre, quæ magis huic aut illi corpori affinia deprehenduntur.

(a) Swalv.
Querel. ven-
tricul. p. 102,
103.

I I I.

OMNI igitur arte atque operâ in id incumbere debet Medicus, ut peculiarrem uniuscujusque constitutionem noscere, aut saltem ea quæ cuique homini magis congrua sint definire queat. Vix autem salutarem hunc attinget scopum nisi experienciâ & observatione fretus; advertendo scilicet ad varia signa quibus indicantur alimentorum genera diversis corporibus accommodatiora. Inter hæc verò signa nulla forsan majori curâ Medico annotanda sunt, quam jucunditas è cibus percepta & iis utendi consuetudo.

I V.

AD E O stupendum est mentis cum corpore consortium, ut in toto terrarum orbe nihil forsan magis Creatoris omnipotentiam patefaciat. Secundum hujusce conjunctionis leges agunt in se vicissim & anima & corpus. Pro variis igitur animi pathematibus variè agitantur vel oscillant fibræ. In gaudio v. g. auctâ vi cordis & arteriarum, & forsan aucto ipsiusmet cerebri (a) motu, majori impetu propellitur sanguis; liquor ille sicut & cæteri ex eo geniti, ulteriorem proinde adipiscuntur fluiditatis gradum, faciliùsque minima vascula permeant;

(a) Vid. Dis-
sert. Doctor.
Schlichting,
De motu cere-
bri. Mem. pré-
sent. à l'Acad.
des Sciences,
Tom. 1. pag.
113.

blandè contremiscunt fibrillæ, diffunditur undequaque jucunditatis sensus, totumque corpus, vel in minimis particulis, vivit, viget, sentit & exultat (b). Contrarium sanè accidit in mœrore. Cibus ergò voluptuosè gustûs organum afficiens, vehementerque appetitus, multò meliùs salivâ subigitur & quasi arctiùs in ventriculo fovetur, faciliùs à variis succis *digestivis* solvitur, in chylumque mutatur. Undè si quid inest vitii brevè corrigitur. Insalubritas enim non æque offendit ac demulcet suavitas (c). Cibi verò aliundè euchymi, sed injucundi, ventriculi & intestinorum vim & actionem, liquorumque dissolventium ἐνέργειαν eludunt. Si autem nauseabundi, horroris quemdam incutiunt sensum, ità subvertitur ventriculus ut ingenti conatu ferè sinceri evomantur. Jam verò certum est illud voluptatis genus è cibus non percipi ab animâ, nisi quòd consequatur certam in corpore, quæ ab effectu grata dicitur, impressionem; quæ quidem majoris cibos inter & corpus affinitatis indicium est. Sunt enim homines debilissimâ temperie præditi, qui, vehementer crassiora solidioraque appetentes alimenta, feliciùs ea concoquant, quàm aliud quodlibet cibi genus minùs ipsis jucundum. Adeò frequens est istud phænomenon, ut hujusce generis exempla hîc recensere prorsùs inutile foret (d). Hinc naturæ diligentissimus explorator Hippocrates, ægrotis gratificandum esse censet (e) in cibo, potu & obsoniis quæ in maxime concupiscunt; modò damnum evidens indè non accessurum sit, aut saltem facilè refarciri possit. *Duplex utilitas*, ait Galenus, (f) *habetur ex indulgentiâ erga agrum in his quæ sunt citra illius jacturam: altera quod in cibus meliùs concoquit, in potibus sitis sedatur, ex odoribus somnus conciliatur, ex balneo quies, virtusque restauratur: altera est amor agri erga Medicum & observantia quâ fit ut illi in omnibus pareat.*

Quanta sit consuetudinis vis, ratione eorum quæ sanitati conducunt, vix concipi potest; undè tritum illud verissimumque adagium: *consuetudo est altera natura* (g), quæ quidem priorem mutare valet. Consistit autem in habitu quodam acquisito præcipuè à repetitâ fibrarum actione; vel secundum Clariss. Stahlianum (h) consuetudo est habitus vel celeritas singularis ad varias actiones tam suscipiendas quam exercendas. Cum semel consequenter ad repetitos illos actus, determinatum quemdam statum adeptum est corpus, tunc ab assueto more recedere quocumque modo, periculosum esse monstrant & ratio & experientia. Non immeritò sanè, ait Galenus (i) consuetudinem esse signum & interdum causam naturalis alicujus proprietatis. Cibus crudis tenacibus & inconditis, peculiaribusque quibusdam potionibus indulgere assueti, si diversis deinde alimentorum potulentorumque generibus, quantumvis melioribus, uti velint, (k) nocivam experientur alterationem. Fuerunt quidam, ut fertur de Mithridate (l), ita toxicis assueti, ut nullum ex iis perciperent incommodum. Non infrequens est homines videre, qui quotidie devorent 60 aut 70 laudani grana, cujus quinque aut sex inassuetos interimerent. Asa fœtida, σίλφιον Dioscoridis, à cujus odore abhorremus, in deliciis erat apud antiquos (m), ut nunc apud Persas; contra verò mali citrei ingratiſſimus ipsis erat odor. Fertur (n) Ducem quemdam Atheniensium saltare solitum, cum præ novæ dignitatis decore, istud exercitii genus frequentare nequivisset, coactum esse aliquoties repenti tripudiare, forti totius corporis concussionem ac tremore deprehensum. Nonne quotidie videmus tenellas virgines delicatulum pectus impunè rigidissimo exponere frigori, quod robustissimi viri cum villosa pectore experiri non auderent. Hæc omnia apprimè noverat divinus senex; undè toties in scriptis (o) ad consuetudinem vitæque rationem attendere jubet, non solum in sanitate tuendâ, sed & in morbis debellandis. *Consueti* (p) *solitos labores ferre, etiamsi fuerint debiles, aut senes, insuetis robustis licet & juvenibus, faciliùs ferunt.* (q) *A multo tempore consueta, etiamsi fuerint deteriora, insuetis minùs turbare solent. Oportet igitur etiam ad insolita transire.* Ipse quoque Erasistratus monet

(b) Cheyn. De sanit. ticud., p. 188.

(c) Swalv. Querel. ventricul. p. 101.

(d) Ibid. p. 103.
(e) De Affect. Epid. Lib. VI. Sect. IV.
(f) Comm. in Lib. VI. de Affect. Epid.

(g) Boerh. Inst. Med. §. 1026.
(h) Theor. Med. p. 452 & 594. Disput. de consuet.

(i) Libr. de consuetud. De Meth. medicand. Lib. IX.

(k) Swalv. Quer. ventr. pag. 100.
(l) Hist. de la Médec. par M. le Clerc, p. 390.

(m) Plin. Hist. Natur. Lib. XIX. cap. III.
(n) Vid. Luc. Tozz. Oper. Med. Tor. II. p. 154.

(o) De Diet. Lib. III. De vit. acut. De Humid. usu, &c.
(p) Aphor. Sect. II. Aph. 49.
(q) Ibid. Aphor. 50.

(r) Galen.
Libr. de con-
suetud.

Medicos hæc omnia parvi facientes, raro ægris fausto successu opem allaturos; aut aliquandò ipsos miserrimè jugulatu-
ros; ut contigit Ario Peripatetico, (r) qui cum ex potu levissimè refrigerato singultu statim corripere-
tur, nunquam ausus fuisset frigidulam aquam gustare; tandem fe-
bri occupatus, à Medicis præter consuetudinem coactus potu frigidæ uti, subito fuit exanimatus.

V.

* De his vide
plura apud Il-
lustriff. D. De
Buffon, Hist.
Natur. in-4°.
Tom. 11. p.
570, &c.
(a) Aph. 50.
Sect. 11.

EX his deducere pronum est, quàm nociva sit uniformis consuetudo, quàm
è contrariò utile à juventute assuescere indiscriminatim ad omnia ciborum
genera*, sivè ex vegetali sivè ex animali Regno deprompta; & ut consulit Hippo-
crates, (a) *δὲν ἔν κ' ἴς τὰ ἀσυνήθια μεταβάλλειν*. Insueta enim semper vitare
homini prorsus impossibile, ob inopinatas rerum sortes quibus subjicitur. Caven-
dum tamen ne à longo tempore consueta subito deserantur, præsertim in adul-
tis, novumque vitæ genus derepentè instituat. Satis patet quantum exindè peri-
culum immineret. Neque enim ab aère graviore v. g. ad levem etiamsi salubriorem,
vel à nimio labore ad otium transire tutum est; nec nisi paulatim fieri debent
mutationes illæ, quæ quidem in ætate senili vix locum habere possunt. Itaque
(b) *sanus homo qui & benè valet & sue spontis est, nullis obligare se legibus de-
bet Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, modò in urbe, sæ-
piusque in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti; modò ungi, mo-
dò id ipsum negligere, nullum cibi genus fugere quo populus utatur, interdum in
convivio esse, interdum ab eo se retrahere, modò plus justo, modò non amplius assu-
mere Concubitus verò neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est.*
His legibus obsequentes longam jucundamque ducent vitam; & ut canit elegan-
tissimus Poeta (c):

(b) Vid. Cels.
Libr. 1. cap. 1.

(c) Vanier,
Præd. rustic.
Libr. 1X. p.
188.

Lecto nec plumbeus Auster

Languidulos affigit; iners nec Bruma, nec Æstas

Ulla nocet: nec membra ligant nodosa podagra:

Non stomacho gravis esca: febrem non lethifer afflat

Autumnus.

(d) Vid. ce-
leb. Monro,
Essais d'Edimb.
Tom. VI. pag.
31.

Probè tamen hîc annotandum omninò à Diætâ ableganda esse quæcunque ex
Regno minerali deprompta, muriaticum salem si excipias; nulla enim ipsis inest
cum corpore analogia. Idem dicendum de vegetabilium animaliumque specie-
bus, horumque partibus quibusdam, quæ semper maximè nocivæ deprehendun-
tur, aut quæ succorum digerentium ἐνέργειαν eludentes, in chylum sanguinemque
immutari nequaquam possunt. Ablegandi pariter liquores ardentes quicunque,
totidem enim venena sunt quibus, frustra reclamantibus Medicis, lentè consu-
mitur magna pars hominum. Quàm infelices qui iis abuti jam consueverunt!
His tamen sæpè, in morbis etiam gravissimis, indulgendum esse testantur varia
Medicorum acta (d). Cum igitur tum alimentorum jucunditas, tum iisdem
utendi consuetudo indicent corpori magis esse affinia, adeòque cæteris præstare,
meritò concludendum videtur,

Ergo cibus deterior, sed jucundus & assuetus, meliori, sed ingrato & inassueto, potior.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-ANNA LAVIROTTE,
Æduensis, Doctor Medicus Monspeliensis, Regius Librorum Censor, necnon
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751,
A SEXTA AD MERIDIEM.